

Angeli boni distinguuntur vel } Respectu diuisionis mundi, & sic dicuntur }
 vel } Cælestes vide B.
 } Elementares vide C.
 } Vti Symbolizare videntur cum literis sanctis vti infra.

Illos dicimus supercælestes, qui sunt illorum nouem ordinum, qui in cælo Empyræo dicuntur comprehendi, qui varie à Theosophis videntur ordinari atq; explicari, progredimur ergo sic.

B Diuiduntur Angeli supercælestes à	Theologis recentioribus in tres distinctiones quas hierarchias siue choros vocant quorum nuncupatur	Supremus, Epiphania cuius ordo triplex, sunt enim vel	Seraphin Cherubin Throni
		Medius, Epiphonomia cuius tres sunt gradus videlicet	Virtutes Potestates Dominationes
		Infimus, Ephionia quæ diuiditur in	Principatus Archangelos Angelos
Doctorem Hebræorum antiquioribus in ordines vel locos nouem, quorum vocant illos		Primi Haioth Kadosh, hoc est animalia sanctitatis seu vitas,	
		Secundi Ophanim formas seu rotas. Tertii Arælim, Angelos fortes, & robustos. Quarti, Chasmalim seu Hashmalim Quinti, Seraphin Sexti, Malachim Septimi, Aelohim seu Deos Octau, Ben Aelohim, hoc est, filios Deorum Noni, Cherubin.	

Posuerunt Theologi in superiori distinctione siue Hierarchia, Seraphin, Cherubin, & Thronos, tanquam supercælestes spiritus, diuinæ prouidentiae gradum atque conditionem proximam speculantes, quorum ordinum supremus Dei bonitatem & amorem igneum, secundus, eius essentiam atque sapientiam, tertius eius prudentiam & iustitiam respicit. De Seraphin mentionem facit Isaias cap. 6. & scriptura sacra in multis aliis locis, vbi Deo ordine proximiores describuntur esse spiritus. Cherubin assignatur custodia Paradisi, Et alibi, *Ascendit Deus super Cherubin, & volat super pennas venti.* Psal. 17. De Thronis etiam loquuntur multi Biblii sacrosancti loci videlicet Ezechiel, cap. 1. Apostoli Coloss. 1. Reuelatio in multis.

In secunda Hierarchia collocantur Virtutes, Potestates, & Dominationes, tanquam mundi spiritus, quorum officium magis ad mundi gubernationem accommodatur. Horum supremus imperat atque præcipit inferioribus, secundus administrat in cælis fatique leges ordinat, tertius summa ope enititur, vt ea impediatur, quæ legem diuinam quoquo modo perturbare præsumunt. De principibus, potestatibus, & Dominationibus verba facit Apostolus loco superius allegato, nempe, 1. Coloss. 16.

In inferiori Hierarchia expriment Principatus, Archangelos, & Angelos, quorum est officium, vt ad inferiora curanda descendant, nam primus huius distinctionis ordo curat publica, videlicet, Principes, Magistratus & Prouincias seu regna, singuli singula, inter quos 72. à Cabalisticis numerantur, quibus à Diuina prouidentia commissæ sunt 72. terræ portiones, quæ ideo regna dicuntur.

Secundus ordo sacris interest, & hominibus probis in terris assistit, precesque & sacrificia dicitur DEO offerre. Porro etiam in cælo stellarum erraticarum gubernationi atque directioni dedicantur ex illis septem, vt infra latius. Denique Angelorum est, ea, quæ minoris